

coram Capellano Parochi cui sola administratio Sacramentorum delegatur, itemque coram Confessario extraordinario confectum sit, non satis tutum ac firmum habetur, ideoque Abbas in solemni Repetitione cap. CUM ESSES eam cautionem proposuit, ut si Parochus vel Confessarius ordinarius absit, Capellanus vel Confessarius extraordinarius ad testamentum excipiendo acciti non duos, sed tres adhibeant testes, quorum tertius una cum iisdem Capellano aut Confessario absentiam Parochi vel proprii Confessarii suppleat; quam quidem cautionem Doctores omnes probarunt « quia duo testes, ut ait Pirhing lib. 3 Decret. tit. 23 § 2, aequivalent Parochio, et vicem supplant unius, quantumvis maxima auctoritatis » ex cap. CUM A NOBIS 28 et cap. LICET 47 de Testibus.

Quod autem secundo loco de testibus quaerebatur, quinam scilicet esse debeant, cum caput ipsum CUM ESSES idoneos diserte postulet, perspicuum omnino est, illis dotibus praeditos esse oportere, quae ad obeundum testium munus in reliquis testamentis requiruntur. Rogandi quoque sunt, non modo ut diligentius attendant animo ad id quod agitur, verum etiam ut plane idonei censeantur; namque, ut notat Rota in *Perusina Bonorum* die 6 Februarii 1583 : « Decretalis CUM ESSES requirit idoneos testes, et cum aliter non exprimat debet intelligi de illa idoneitate a lege civili considerata, quo fit ut testes rogati soli idonei existentur; siquidem illis rogatis magis creditur, cum fides eorum censeatur electa et a testatore approbata. »

Postrema denique ejus capitinis verba « in extrema fecerint » voluntate » non sane demonstrant ea testamenta tum demum valida fore, si a testatoribus morbo gravi et mortifero affectis condita fuerint : siquidem ea verba « non fuerunt apposita ad coarctandum tempus testamenti, et quovis tempore quis testamentum fecerit, tempore mortis fecisse dicetur, ex quo moriens in ea voluntate perseverat, » ut ait Fagnanus in idem cap. CUM ESSES, n. 69 et 70. Nec Pontificis decisio ae-

gritudine testatoris tanquam conditione nititur, quod Cardinalis De Luca perpendit. Itaque nihil refert, utrum testamentum illud integra valetudine, an infirma et aegra, utrum in urbe frequentissima, an ruri conditum sit. Verumtamen hujusmodi testamentum judicialiter revelandum est, ut aiunt, hoc est Parochus et testes a Judice exquirendi sunt de omnibus illis quae testamento continentur, « quia scriptura per Parochum confecta est privata, et eget publicatione, mediante ipsius Parochi et testium examine, sive officio judicis, sive ad instantiam haeredis scripti, sive legatariorum, sive aliorum interesse habentium, » uti Monacellus tradit in Formul. legali pract. tom. I tit. 10 form. 19. Si vero testamentum a testatore subscriptum sit, tum illud satis erit, quod Parochus et testes manum suam agnoscant, atque testentur illud ipsum testamentum esse, quod coram ipsis testator signavit, « qua ratione, » ut docet S. Rota in Narniens. Legati diei 17 Martii 1738 coram Mellino, « receptum est ut testamentum in schedula clausa et obsignata confectum, et Parochio coram duobus testibus traditum, integris viribus permaneat, non interveniente solemnitate revelationis, dummodo comitem habeat depositionem testium affirmantium, praesentes fuisse traditioni schedulæ, audivisse testatorem declarantem in ea contineri suam ultimam voluntatem, deque eiusdem schedulæ identitate deponentium. »

Duo monenda supersunt : Primum est, Decretalem CUM ESSES intra Ecclesiasticae ditionis limites duntaxat vigere, quod civiles leges aliarum Regionum solemnitates alias requirentes, cum in re profana et indifferenti versentur, a jure canonico nec abrogatae nec correctae putentur; quin etiam in ipsa ecclesiastica ditione testamenta ad formam cap. CUM ESSES rata et firma non habentur, ubi contrarium statutum Apostolica auctoritate et in forma specifica confirmatum obstiterit, quod Benedictus XIII in Concilio Romano declaravit.

Secundum est, in ipsa ditione Ecclesiastica ex Motu pro-

234 CAP. IV. DE ADMIN. BON. ECCLESIASTICORUM.

prio diei 6 Julii 1816, testamenta ad formam capitinis **CUM ESSES** tum demum valida haberi, si in valetudinariis condita fuerint, aut testator morbo extinctus sit ruri aut in pago, qui a stabili sede Notarii publici plus tria passuum millia distet.

§ 122.

DE TESTAMENTO AD PIAS CAUSAS.

Pervulgatum est alterum cap. **RELATUM 11** de Testam. quo testamenta ad pias causas coram duobus testibus (confecta omnino valent. Hujusmodi caput omnes orbis catholici provincias complectitur, nec de ipsis auctoritate ex commemorato Motu proprio quidquam derogatum est. Illud itaque praecipuum habet, quod praeter duos testes nec Parochi, nec alterius praesentiam postulet. Testamenta ad pias causas conscribere quisque potest, nisi defectu animi ad statuendum de rebus suis ineptus sit, veluti pupilli, amentes, prodigi et hujusmodi. Ex quo consequitur, ut filiisfamilias, quibus nullus naturae defectus, sed tantum lex posita impedimento est quominus testari possint, valide testamentum condunt ad causas pias, si, ut id faciant, sententia patris accesserit. Qua de re Julius Clarus lib. 3 quaest. 5 illud tradidit, « quod si filiusfamilias in hujusmodi testamento condito ad causas pias faciat aliqua legata aliis personis, talia legata nihil valent: non tamen accrescunt ipsi causae piae, sed vadunt ad venientes ab intestato: » idque ob eam causam quod filiisfamilias jura non permittunt nisi ad pias causas testari. Testamenta vero ad pias causas condita censemur, cum haereditas aut Ecclesiae, aut Loco Pio, aut Sodalitio, aut certae personae relicta est, ut cultus divinus, vel bonum animarum promoveatur, vel pauperum calamitas sublevetur. Haec igitur testamenta firma sunt, modo voluntas testatoris ex duobus vel tribus testibus comperta sit; atque etiam foeminae testes esse pos-

§ CXXIII. DE LEGATIS PIIS.

255

sunt, quin imo Cardinalis De Luca discurs. 14 de Testam. docet, solam schedulam testatoris manuscriptam, vel subscriptam satis esse absque necessitate testium, quod cap. **RELATUM** testes requirunt demonstrative, non autem taxative, unde illud colligit, quod sufficiat « quaecumque alia species probationis naturalis, quae illi factae per duos testes aequipolleat, eo modo quo in contractibus aliisque actibus inter vivos habemus, ut dici valeant obligatorii. » Nec etiam desunt, qui causarum piarum sic privilegia laxant, ut ne oporteat quidem liberos, vel parentes in legitima haeredes institui, eisque propterea querelam inofficiosi testamenti non largiuntur. Qua super re Julius Clarus cit. lib. quaest 6 ita disserit: « quod aliquid relinquatur filii titulo institutionis est mera solemnitas a jure civili introducta, quae secundum conclusionem superiorius factam in testamentis ad pias causas non attenditur. » Sed magis arridet sententia Augustini, quam refert Gratianus caus. 17 quaest. 4 can. 43: « Quicumque vult exhaeredato filio haeredem facere Ecclesiam, quaerat alterum qui suscipiat, non Augustinum: imo Deo propitio nullum inveniet. »

§ 123.

DE LEGATIS PIIS.

Postulat hic locus ut aliqua de Legatis piis dicamus. Multa sunt hujusmodi legatorum privilegia. Primum est quod legata pia etiam nudis verbis relictam debantur, cap. 4 de Testam., et si testamento relicita sint, adhuc debentur, quanquam testamentum ex defectu solemnitatum imperfectum et irritum sit, quod ex cit. cap. 4 et cap. 11 de testam. comprobatur. Patres Concilii Lugdunensis II Provincialis jam ab anno 562 de supremispiis voluntatibus decreverant: « ut etiamsi quorumcumque religiosorum voluntas aut necessitate, aut simplicitate

aliquid a legum saecularium ordine visa fuerit discrepare, voluntas tamen defunctorum debeat inconcussa manere, et in omnibus Deo proprio custodiri. » Huc etiam facit L. 24 cod. de Episc. et Cleric. : « Id quod pauperibus testamento vel Codicillis relinquitur, non ut in incertis personis relictum evanescat, sed omnibus modis ratum firmumque consistat; » scilicet favore pietatis, ut notat glossa, nam laicis personis relictum non valeret. Si testamentum nullum est, legata et fideicomissa, tanquam accessoria, omnino corrunt; id tamen de legatis et fideicommissis accipiendum est, quae juris civilis auctoritate consistunt, non vero de legatis ad pias causas quae solemnitatibus juris non indigent. Ex quo consequitur, legata ad pias causas relicta in testamento, quod parentes sine solemnitatibus inter liberos condunt, praestanda esse. Si enim hujusmodi testamenta aut scriptis mandata, aut sine scriptis coram duobus testibus facta valent, non video, cur etiam legata ad pias causas impleri non debeant quae singulari jure canonico numerum testium non requirunt.

Secundum privilegium est, quod legata pia debeantur testamento licet destituto, et non adita haereditate. Argumentum sumitur ex L. 42 ff. de Fideicommis. in qua libertati hoc privilegium tributum est « quo exemplo, » ait Donellus, « recte defendetur, etiam haereditate ex testamento non adita deberi ea quae ad pias causas relicta sunt: pietatis enim causa non minus favorabilis est quam libertatis. » Unde illud colliges, quod legata non adeo testamentis incumbant, ut aut sine testamento, aut corruente testamento consistere nequeant, tum quia et codicillis sine testamento legare possumus, tum quia legata ex testamento irrito interdum firma permanent, Auth. Ex CAUSA cod. de Liberis praeterit., et L. 1 ff. de Legat. praestand.

Tertium privilegium est, quod in legatis pii falcidia non detrahitur, ex Nov. 107 cap. 9. Sed « circa Trebellianicam, ait Engel in Colleg. univ. Jur. Can. lib. 3 tit. 26 n. 21, textus

quidem clarus non exstat, quia tamen eadem utriusque est ratio, propterea idem de hac quoque communiter statuant Doctores. »

Quartum privilegium omnino paeclarum est, quo causa pia facile possit haeredem in officio continere. Si enim haeres in mora sit legati pii solvendi, sic ab Imperatore cautum est Novel. 131 cap. 12: « Si autem distulerint, qui in hoc onerati sunt, hujusmodi praebere legatum, et fructus, et usurae, et omne legitimum exigatur augmentum a tempore mortis ejus qui reliquit. » Quod si haeres tamdiu solutionem distulerit, quoad in judicium vocetur, actio mixta evadit: « Item mixta est actio contra eos, qui relicta sacrosanctis Ecclesiis, vel aliis venerabilibus locis legati vel fideicommissi nomine dare distulerint, usque adeo ut etiam in judicium vocentur, tunc enim et ipsam rem, vel pecuniam quae relicta est, dare compelluntur, et aliud tantum pro poena, et ideo in duplum ejus fit condemnatio. » Instit. de action. § 19.

Multa sunt alia causarum piarum privilegia, quorum 167 congressit Andreas Tiraquellus, Jurisconsultus Gallus, in suo Tractatu de *Privilegiis causae piae*. Interim admonemus ex cap. Nos QUIDEM, et cap. TUA NOBIS de Testam., nec non ex L. 28 NULLI LICERE cod. de Epis. et Cler., piarum dispositionum curam et executionem ad Episcopos pertinere: « licet etiam a testatoribus id contingeret interdici, » ut loquitur Pontifex cit. cap. TUA NOBIS, quandoquidem leges, quae facultatem illam Episcopis largitae sunt, privata testatoris voluntate mutari nequeunt: « Nemo potest in testamento suo cavere, ne leges in suo testamento locum habeant » L. 58 ff. de Leg. et Fideicommiss.; et in Authentica LICET de Epis. et Cler., et in Novel. 131 cap. 11 praecipue sancitum est, invito etiam testatore jus Episcopis esse pias voluntates sibi curandas et exsequendas vindicare. « Nec aliud datum est pii operis fundatori, uti tradit Benedictus XIV de Syn. Dioeces. lib. 13 cap. ult., quam ut certum aliquem designare ac con-

stituere valeat exequutorem, seu etiam huic concreditum munus segniter obeunti alium subrogare : tunc enim Episcopus interponere se nequit, nisi cum substitutus quoque segnis, et negligens deprehendatur : sed hoc demum casu ad Episcopum devolvitur onus ac cura exsequendi, quod allii neglexerunt.

CAPUT V.

DE REBUS SACRIS, SANCTIS, ET RELIGIOSIS.

§ 124.

DE ECCLESIIS ET ALTARIBUS.

Hactenus de temporalibus Ecclesiae rebus dictum est. Postulat nunc instituti nostri ratio, ut alterum rerum ecclesiasticarum genus persequamur, earum nempe quae sacrae, sanctae et religiosae appellantur, quod Deo et religioni consecratae sunt. Hujusmodi autem praecipue sunt Ecclesiae, Altaria, omnisque sacra supellex, tum Coemeteria et sepulturae Ecclesiasticae, Monasteria et Seminaria, ac domus hospitalis pro pauperibus, peregrinis et aegrotis. De singulis breviter edisseremus, ac primum de Ecclesias aedificandis et reparandis.

Quamvis Ecclesias erigere et aedificare pium, religiosum ac laudabile opus sit, ne temere tamen aut cum aliorum jactura, aut sine congrua perpetua dote erigantur, Sacri Canones omnino vetant, ullam sive Ecclesiam, sive Capellam, sive Oratorium, sive Altare aedificari sine Episcopi, in cuius Dioecesi exstruitur, consensu et auctoritate. Hinc si quis, vetante Episcopo, Ecclesiam construxerit, nullum in ea jus, ne patronatus quidem, acquirit, neque in ea sic aedificata fas est divina officia celebrare. Si vero Episcopus justa de causa

consenserit, nova fabrica non est inchoanda, nisi aut ipse, aut aliis ab eo delegatis locum inspexerit et approbaverit, crucemque in eo fixerit, ac primum lapidem benedictum in fundamentis posuerit, servato ritu quem Pontificale Romanum praescribit. De Parochialium erectione jam egimus superiori § 84.

Altaria in Ecclesiis vel publicis Oratoriis Episcopi auctoritate aedificatis ergenda sunt, eaque marmorea sint oportet, aut saltem lateritia et fixa; nam, ex decreto Concilii Trid. sess. 22 dec. de Observ. et vitand. in celeb. Missar., abrogatum est privilegium utendi Altari portatili, quo ex cap. 30 de Privileg. nonnulli Regulares fruebantur.

Exstructae Ecclesiae identidem instaurandae et reparandae sunt. Sarciri autem debent ex redditibus earumdem Ecclesiasticorum, si quos habeant, peculiariter pro fabrica assignatis. Quod si Ecclesiis vel nulli sint reditus ad eum usum, vel sufficientes non sint, inspiciendum erit, num forte alicui ex lege speciali, hoc est statuto, pacto, vel consuetudine id oneris incumbat: hoc enim eventu is ad Ecclesiam instaurandam cogendus est. His autem modis deficientibus sequentes regulae potissimum observantur. 1. Si templum sit Cathedrale, Episcopus conferet quartam partem reddituum measae Episcopalis; si Parochiale, Parochus conferet eos Beneficii fructus, qui post honestam sui sustentationem supersint. Cum Episcopo ad necessariam Ecclesiae Cathedralis reparationem quilibet Canonicus symbolam conferre tenetur, si id Praelatus cum majori parte Capituli constituerit, cap. fin. de iis quae fiunt a maj. part. Capit.: cum Parocho autem tenentur omnes pro rata, qui in eadem Parochia pensiones habent, nisi forte pensiones ab eo onere immunes concessae fuerint, quod plerumque contingit. Itemque, ex Concilio Trid. sess. 21 cap. 7 de Ref., Patroni omnes et alii qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum Parochiani omnes ad predictam restorationem opportunis remedii ab Episcopo